

LXXXIII.

Quatenus, tertio cognatorum ordini, successio prodita est, cum neque descendentes, neque ascendentes amplius supersunt *c. 2. in fin. & c. 3. in pr. Novell. 118. de her. que ab int. def.* Dividitur hic ordo in AGNATOS & COGNATOS, quorum (quâ tales) prærogativa in successione ab Imp. penitus sublata est *per cap. 4. d. Novell.*

LXXXIV.

Quemadmodum verò in priorum ordinum, ita & in huius successione, certum observari modum Imp. æquum visum fuit, quo ad collaterales à transverso hereditas devolvatur, quique quantum ex *d. Novel. 118.* constat, talis est.

LXXXV.

Ex collateralibus vocantur
I.

Omnium itaque primò, ad collateralium hereditatem, vocati sunt, fratres ac sorores germani germanæ, id est, ex eodem patre, eademque matre geniti *c. 3. d. Novell.* ac ita quidem, ut consanguineos vel uterinos tantum fratres ac sorores excludant: *Novell. 84. de consanguin. vel uterin. fratr. cap. 1. §. 1. arg. auth. Itaq; C. com. de success. auth. cessante. C. de legitim. hered. Landr. lib. 2. art. 20.* cumque iis (id est, cum de Matre & Patre thii masculis ac foeminis, *ut loquitur Imp. in d. cap. 3.* hoc est, cum patruis, avunculis, amitis ac materteris) fratrum & sororum præmortuarum filii filiaevè IN STIRPES admittuntur, propter Jus repræsentationis, quod in hoc ordine, hisce solis, nullis aliis, competere Imp. voluit *in d. cap. 3.* Et insuper ita germanorum fratrum &c. filii admitti solent, ut & non rarò excludant aliquos qui in proximiori gradu ipsi defuncto esse deprehendantur; quippe tales, defuncti uterinos vel consanguineos fratres vel sorores tantum, excludere responsum est *in d. c. 3. & d. authent. Cessante.* Recedit hic Jus Saxon. *Landr. lib. 1. art. 3. sub fin. & in art. 17. Fachf. de differ. jur. civil. & Saxon. libr. 1. diff. 25. Schneidvv. Instit. h. t. sub. 3. ord. succ.*

LXXXVI.

Indiget tamen hoc, quod prius diximus, aliquali distinctione,